



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Servitus fœda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

& famulæ; imò hæc illis postponuntur. Oliva fer. 5. Dom. 2. Quadr.

Proiecit mandibulam de manu. Judic. 15. 17. En, quò deveniunt instrumenta principum: ut iis fuerint usæ, ea plerique projiciunt. Samsón mandibulam nec aurò inclusit, nec gemmis ornavit, nec thecà inclusit, nec è tholo suspendit; sed proiecit. Oliva 9. Strom. §. nolite confidere in principibus.

Constituit ei Rex annonam - de cibis suis. Dan. 1. 5. Discamus curam agere servorum. Oliva l. 1. Strom. hic.

Puer meus jacet. Matth. 8. 6. Quid in mentis abdito dignum volvens centurio iste ajebat? mihi hic servus est, & ego Creatoris. Ille me super terram; & ego magnum in cælis habeo Dominum. Si ergo ejus noa misereor; quomodo ille mei miserebitur? Si ego huic non subvenio; quomodo ille mihi subveniet? Sic debent omnes, qui famulos, & famulas, habent, cogitare; sic misereri, & condolere eis, supplicare, & curam habere de servis, vel de ancillis suis; sicut ille beatus Centurio fecit. Origenes hom. 5. in diversos.

Qui illi erat pretiosus. Luc. 7. 2. Author Imp. hom. 22. Centurio iste, inter servum, & dominum, nullam differentiam æstimabat: sciens, quoniam, etsi dignitas in hoc sæculo diversa sit inter eos; una est tamen natura illis: ideo magis Dei naturam honorabat in homine, quàm opus captivitatis contemnebat in servo. Secundùm dilectionem Domini mensurate fidem servi: nec enim possibile erat, ut, sinè pretiò bonorum morum, tantam sibi dilectionem Domini comparasset. Idem ibid.

Noli dicere: ego cibum, & potum, eis præbeo; debita eis stipendia solvo: de animabus suis ipsi viderint, non sum Episcopus, non sum Prælati: nam pro eis Domino tuo, & illorum communi, in die Judicii magnam redditurus es rationem. S. Thom. Vill. tr. de Adv. Domini.

§. V.

Servi inscripti caractere Domini.

Ego stigmata Domini JESU in corpore meo porto. Gal. 6. 17. Cajetanus: ad similitudinem servorum, gestantium in facie impressam notam dominorum, inuisione fieri factam; describit S. Paulus, se portare manifestè in corpore suo non unam, sed multas impressas notas Domini JESU. Hoc est manifestum signum, quòd sum servus D. JESU.

Caractere domini inscribuntur & servuli;

& nomine Imperatoris signantur milites. Sanct. Ambros. de obitu Valentini Imp.

Servi domini sui nomen, aut stigma, inustum in corpore, ac præsertim in fronte, gestabant, teste Rhodiginò l. 5. c. 31. Et inde inscripti, vel Literati, servi dicti.

§. VI.

Servitus foeda.

Nè serviat is Hebrais. 1. Reg. 4. 9. Plurimi vitam, quàm libertatem, perdere maluerunt. Mendoza in 1. Reg. 4. 9.

Melius est, ut viventes serviamus. Judith 3. 2. Sciebat, servitatem, & extremis hominibus foedam esse, qui Hebræum fame pressum gravi, servire non est passus ad septennium usque. Ex 21. 2. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi.* Tempus utcunq; tolerandæ signat Moyses, nè ad septennium usque proferatur. Quòd si Hebræus manumissus libertatem abnueret, magnò domini deceptus amore. Ex. 21. 6. *applicabitur ad ostium, perforabitque aurem eius subulà; & erit ei servus in sæculum.* Multæ sunt notæ, quibus Moyses premit foetidum hominem: utpote qui servire malit, quàm vità frui liberà. Cur enim ad postes exponitur? Theodoretus q. 46. ut intelligat: nè limen quidem egredi licere invitò dominò. Subulà auris perforatur; in dedecus ejus, qui, libertate postposità, servitatem amplectitur, signum hoc jubetur accipere, &c. Rupertus l. 3. in Ex. c. 35. Ut semel dictæ professionis suæ delere, vel abscondere, non possit monumentum. Addo ego: moneri servum aere perforatà; meminerit, se vel auribus trahendum esse, in quascunq; dominus partes voluerit. Velloso in Judith 3. Paræn. 2.

Ferrum pertransit animam ejus. Pf. 104. 18. Sed quomodo ferri vis animum hominis pervadat? S. Ambros. Oct. 12. in Pf. 118. quæ potuit nobilis profapia puero gravior esse tentatio, quàm ut tantò familiæ splendore dejectus, serviret apud Ægyptios. Id. ib. Apud Velloso in Judith 3. Paræn. 2.

§. VII.

Miscellanea.

Magna consolatio ancillarum, quòd Mater Dei, Angelorum regina, Domina totius creaturæ, se vocarit ancillam. Luc. 1. 38. B. Humbertus f. 98. ad famulas divitum.

Dictus est servus à servando: quia victis hostibus capti servabantur ad vitam. S. Thom. Aqu. in Gen. c. 9.

